

tra tabem efficax est, ac spiritalem etiam canaliculam purgat. Sed si frequentius comedatur, visus obscuritatem inducit, ac stomacho etiam nocet. Succus ex melicrato potus, contra venenatarum bestiarum morsus auxilio est. Sed & ipsum quoque portum impositum prodest. Quin & succus aurum doloribus & sonitui succurrit, cum acetato, thure, lacte aut rosaceo instillatus. Folia vero varos tollunt, cum rhoë opsoniorum imposita, epinyctidásque sanant: ac ulcerum quoque crustas ex sale illita emarginant. Cæterum seminis binæ drachmæ cum pari myrti baccarum pondere potæ, veteres sanguinis supernè reiectiones cohibent.

De Ampelopraso. CAP. CLXXX.

Ampeloprasum stomacho quam porrum magis aduersatur: sed plus quoque excalfacit, vrinásque vehementius ciet: menses quoque pellit. Quin & contra bestiarum morsus in cibo conuenit.

De Cepa. CAP. CLXXXI.

CÆPA longa acrior est quam rotunda, citemque rufa quam candida, & sicca quam viridis seu recens, & cruda quam assata, aut sale condita. Sunt tamen omnes mordacitatis participes, inflationésque faciunt, appetentiam inuitant, attenuant, si tim gignunt, nauseam pariunt, expurgant denique,

denique, aluóque sunt vtiles. Tum excre-
mentus aliis viam aperiunt, tum & hæmor-
rhoidas referant. Subduntur verò pro bala-
nis, corticibus nudatè & olo immissæ. At
succus ex melle inunctus, oculorum hebe-
tudinibus, argemis, nubeculis & incipienti-
bus suffusionibus auxiliatur. Anginosis iti-
dem eo perunguntur. Sed & mentes ciet at-
que pellit, ac infusus caput per nares expur-
gat. Canis moribus cum sale, ruta & melle
imponitur. Cum aceto autē in sole perun-
ctus, vitiligines sanat: & cum pari spodio,
scabras hippitudines sedat. Varos quoque
cum sale reprimit. Contra calceamentorum
attritus cum adipe gallinaceo vtilis est. Va-
let etiam num ad alui profluuium, & auditus
grauitatem auriumque sonitus emendat.
Ad purulentas aures, iisdemque intercep-
ptam aquam eliciendam prōdest. Quin &
alopeciis affrictus, celerius quām alcyonium
pilos euocat. Porrò cæpa copiosius sumpta,
capitis dolores ciet, coctaque potentius vri-
nas pellit. Largius verò per aduersam vale-
tudinem esitata, quantumuis cocta, lethar-
gum accersit. Cæterūm cocta & cum vua
passa aut fico imposita, panos seu tubercula
maturat & rumpit.

Q. j.

De Aliso. CAP. CLXXXII.

ALLIUM quoddam est satium & hor-
tensé: quod quidem in Ægypto , porri-
modo, singulari capite reperitur, dulce, par-
uum ac purpurascens : alibi verò multiplici
capite seu nūcleo coagmentatum visuntur,
atque candidum : ac eiusmodi quidem nu-
cleos seu spicas, aglithas Græci nominant.
Est & aliud sylvestre, quod ophioscorodon,
quasi anguinum allium , appellatur. Vini
porrò acrem obtinet alliū, excalfacit , mor-
det, flatus pellit, aliquid turbat, stomachum
exiccat, sitim gignit, inflationēque facit,
summam corporis cutem exulcerat, & ocul-
orum aciem esu heberat. Eadem præstat e-
sitatum ophioscorodon , quod & elapho-
scorodon, quasi ceruinum allium, nuncupa-
tur. Sed & latas quoque tænias in cibo pellit
allium , vrinásque detrahit: morsis à viperā
& hæmorrhoo maximè si quid aliud con-
fert, dum modò continuò post vinum su-
perbibatur, aut ipsum è vino teratur ac in
potione sumatur. **Quin** & in eosdem vīsus,
& contra canis rabiorii morsus, utrilibet im-
ponitur. In cibo verò sumptum, contra mu-
tationes aquarum proficit, [fauces expe-
diendo , easdémque aspergas lenientio] voci
splendorem affert, veterem tuſsum crudum
coctunare in cibo lenit. Potum autem cum
origani

origani decocto, pediculos ac lentes encat. Combustum ac melle subactum illitumque, oculorum fugillationibus & alopeciis medetur: sed in alopeciis curandis vnguentum præterea nardinum additur. Cum sale verò & oleo, sanat papularum eruptiones. Vitiliginem quoque, lichenas, lentigines, vleera capitis manantia, furfures ac lepras cum melle eximit. At cum thure & ræda decoctum ac in ore detentum, dentium dolorem imminuit. Cum ficalneis foliis & cumino, contra muris aranei moscas impunitur. Comæ decoctum fœminarum defensionibus additum, menses secundasque partus extrahit. In eundem quoque vsum suffumigatur. Ceterum factum ex eo & oliua nigra intritum, quod myttoton vocant, esu vrinam cit, ora venarum patefacit, ac hydropticis quoque est utile.

De Scordopraso.

CAP. CLXXXIIII.

NASCITVR Scordopraso porri magnitudine, allij & porri qualitatum particeps: quapropter mixtas quoque vires obtinet, eadem præstans quæ allium pariter ac porrum, sed efficacia minore. Coctum id porri modo dulcescit, & in olerum vicem transfit.

Q. ij.

SIN API seu napy eligito non magnope-
nre aridum, & valde rufum atque ple-
num, quodque fractum internè viride ac
veluti succosum & glaucum conspectiatur.
Tale siquidem recens ac tempestiu[m] ha-
betur. Ad calfaciendum, attenuandum, at-
trahendu[m]que efficax est. Commanduca-
tum autem, valet ad pituitam capitis eli-
ciendam. At succus ex aqua mulsa, contra
tonfillarum præduros tumores, veteresque
& callosas arteriæ scabritias gargarizatu-
prodest. Ipsu[m] verò sinapi tritum & naribus
admotum, sternutamenta ciet. Comitiali-
bus quoque auxiliatur, & vulu[m] strangulatu[m]
oppressas excitat. Quin & lethargicorum
capiti deraso illinitur. Ficis autem admix-
tum & impositum donec rubescat locus, va-
let ad coxendicum cruciatus, lienes, ac in v-
niuersum ad quemuis diutinum dolorem,
cum ex alto in summam cutem quidpiam
extrahere est in animo, translato scilicet in
alteram partem affectu. Alopeciis etiam illi-
tum medetur, faciem purgat, & oculorum
fugillata tollit, cum melle, adipe, aut cerato.
Cum acetо verò, lepræ & feræ impetigines
eo perunguntur. Sed & contra febriles cir-
cuitus aridum bibitur, polentæ modo potui
inspersum. Emplastris quoque extrahendi

vi præ-

vi pæditis, iisque quæ ad psoram faciunt, vtiliter ammisctetur. Succurrit & auditus grauitati incertisque sonitibus cum fico tritum, auribusque inditum. Ipsius verò succus cum melle ad oculorum hebetudines genarumque scabritias conuenienter inungitur. Cæterum exprimitur recenti adhuc semine succus, atque ita in sole siccatur.

De Nasturtio. CAP. CLXXXV.

NASTURTIVM optimum constat esse Babylonicum. Cuiusvis autem nasturtij semen excalfacit, acre est, ac stomacho inimicum: aluum turbat, lumbricos pellit, lienem imminuit, fœtus in utero necat, menses cit ac Venerem stimulat. Est ei denique natura sinapis & crucæ semini similis Lepræ & impetigines exterit: ex melle verò illitum, lienem extenuat, fauos expurgat, & quæ intra thoracem hærent sursum educit sorbitionibus incoctum. Serpentium venenis potum resistit, atque eas suffitu fugat. Capillos fluentes cohibet, & carbunculos ad suppurationem perducit ac rumpit. At cum aceto & polenta illitum, ifchiadicis: confert: cedemata itidem inflammationesque discutit, ac furunculos quoque suppurat cum muria illitum. Cæterum eadem herba præstat, sed effectu minore.

Q. iii.

De Thlaspi. CAP. CLXXXVI.

THLASPI hercula est angustis foliis, digitali longitudine, in terram versis, in cacumine diuisis ac subpinguibus. Cauiculum autem emittit tenuem, binum do- drantum altitudine, cui pauci adnascuntur ramuli: circa verò ipsum totum fructus est, summa sui parte modicè latus: quo semen includitur exiguum, nasturtio simile, disci effigie, veluti in fractum compressum, unde & nomen accepit. Flos albicat. Nascitur in semitis, parietibus ac sepibus. Semen acre, ex calfaciens: bilem vtrinque tam superne quam inferne extrahit, acetabuli mensura potum. Prodest & ischiadicis infusum: potu sanguinem edicit, internisque abscessus rumpit. Menses quoque cit, & partus necat. Porro alterum etiam thlaspi recenset Crateuas, quod aliqui Persicum sinapi voeant, latis foliis & radicibus magnis: quod & ipsum ischiadicorum infusionibus admiscetur.

De Draba. CAP. CLXXXVII.

DRABA herba ad cubiti altitudinem at surgit, tenuibus virgultis, & foliis ex vtroque latere ceu lepidij, sed molioribus & candidioribus. In cacumine verò sambuci vmbellam gerit, candidis floribus prædi tam. Huius herba cum pannis coquitur: in Cappado-

Cappadocia maximè. At verò semen ipsius
aridum, piperis vice opsoniis admiscetur.

De Erysimo, seu Irone.

CAP. CLXXXVIII.

ERYSIMON circa urbes, domorum a-
reas hortosque nascitur, foliis erucæ
sylvestris: caulinis in lori modum sequa-
cibus & flexilibus, floribus luteis, siliquis
in cacumine corniculorū figura, jisq; graci-
libus, vti fœnigraci: quibus exigua conclu-
duntur semina nasturtij similia, feruidóque
gusto. Ea si cum melle delingantur, contra
thoracis fluxiones, purulentas excretiones
ac tusses, morbum regium & ischiadem ef-
ficacia sunt. Bibitur & semen contra vene-
na. Ex aqua verò aut melle illitum, prodest
carcinomatis occultis, duritiis, parotidibus,
ac testium mammarumque inflammatic-
nibus. In summa attenuat & calfacit. Cæte-
rū ad eclegmata redditur mitius & ar-
commodatius, si aqua maceratum torre-
atur, aut linteo illigatum subactaque farina
oblitum inassetur.

De Pipere. CAP. CXXXIX.

PIPIER brevis arbor esse traditur in In-
dia nascens, quæ quidem fructum pro-
mit inter initia oblongum siliquarum in-
star, quod longum pipet est. Is habet intus
aliquid tenue ac milio simile, quod tandem

Q. iiiij.

in perfectum piper euadit. Et ille quidem suis temporibus dehiscens pandensque se-
se, racemos emitit grana ferentes, qualia nouissimus: è quibus nonnulla acerba & im-
matura piper faciunt candidum, aptissimum
remediis oculorum, antidotis & iis medi-
caminibus quæ contra venenatas bestias
parantur, Theriaca vocant. Est porrò lon-
gum intensa mordacitate præditum & sub-
amarum, quoniam immaturum: antidotis i-
talem & theriacis medicaminibus accom-
modatum. At nigrum albo suavius est, a-
crius, osique gratius ac magis aromaticum,
propterea quod tempestiu[m] maturitate col-
lectum est: quin & ad condimenta utilius
est. Candidum verò, quippe quod in acer-
bum vergat, antedictis infirmius & ineffi-
caciüs est. Eligito grauissimum, plenum, ni-
grum, non valde rugosum, sed recens ac mi-
nimè furfurosum. Reperitur etiamnum
quoddam in genere nigri, nutrimento de-
fectum, cassum seu inane ac leue, quod bra-
sina nominatur. Vim habet communiter e-
mne piper excalfaciendi, urinam ciendi,
concoquendi, attrahendi, discutiendi, de-
tergendique ea quæ pupillis tenebras offun-
dunt. Conuenit etiam, seu potum seu illu-
tum, febrium rigoribus per circuitum repe-
tentibus: ac venenatarum quoque bestia-
rum

xum mortibus auxiliatur, & partus extrahit.
 Creditur & statim à concubitu subditum,
 spem partus adimere. Quin & tussi omnibusque pectoris vitiis linctu potuve succurrit. Anginis item conuenit cum melle perunctum, ac tormina discutit potum cum lauri foliis tenellis. Manducatum vero cum vua passa, pituitam è capite prolicit. Dolores quoque sedat, valetudinem tuetur, & appetentiam mouet. Sed & concoctionem adiuuat, ad intinctus additum. Exceptum vero pice, strumas discutit, ac vitiligines etiam ex nitro emaculat. Torretur autem fistili novo super prunis, eodem quo in cremanda lente fit modo agitatum. Ceterum non est huius arboris radix, ut aliqui existimauere, zingiber: quemadmodum paulò post ostendemus. Attramen piperis radix costo similis est, gustantium ora calfacit, saliuamque ciet. Eadem cum aceto imposita, itemque pota, lienem imminuit. Capitis etiam pituitam elicit commanducata cum semine pedicularis herbae, quam staphidem agriam vocant.

De Zingibere. CAP. CXC.

ZINGIBERIS sui generis planta est, quæ plurima in Troglodytica & Arabia nascitur. Huius herba virente cocta, ad multa, perinde atque nos ruta, vtuntur, pro-

potismatis ac pulmentis eam admiscentes. Radiculas habet paruas, cyperi modo, candidantes, sapore piper imitantes ac odoratas. Eligito quæ teredinem minimè senserint. A quibusdam tamen ob id condiuntur, quod celeriter cariem sentiant, ac fistilibus in Italiam asportantur, cibis idoneæ, si modò cum suo condimento assumantur. Vim porrò habet zingiber calfacientem, concoquentem, aluum leniter emollientem, ac stomacho etiam vtilem. Est & efficax aduersus ea quæ pupillis caliginem offundunt. In antidota quoque additur, ac in vniuersum piperis vires quadantenus æmulatur.

De Hydropipere. C A P . C X C I .

HYDROPIPER apud aquas maximè stagnantes leniterve fluentes gignitur. Caulem edit geniculatum ac solidum, circa quem alarum sunt concavitates, ac folia mentha similia; sed maiora, delicatiora candidioraque, gustu acria piperis modo, citra tamen ullam odoris gratiam. Fructum vero gerit in surculis paruis prope folia erumpentem, & racematum cohærentem: qui & ipse acris est. Vim habent folia cum semine imposita cedemata veteresque duritias discutiendi, & sub oculis fugillata emendandi. Siccata vero & tusa, sali & opsoniis propipere admiscentur. Cæterum radicem habet par-